

## **Scientia Sanctorum**

Collecta Ex Meditationibus Ludovici De Ponte, Joannis Busaei, Joan.  
Suffren, Juliani Hayneufve, Et Antonii Gaudier, &c. E Societate Jesu, In  
Dominicas, Festa & ferias totius Anni digesta. Cum Indicibus duobus. I. In  
singulos dies. II. Ad Exercitia Spiritualia

**Puente, Luis de la**

**Dilingæ, 1685**

8. De examine meditationum.

---

[urn:nbn:de:hbz:466:1-60561](#)

dupliciter : vel cum mens ex affectu prout impicit  
in verba minimè præmeditata, aut composita :  
vel cum aptam aliquam precationem ab alio  
compositam in eum sine in excitandi seipsam,  
assumit.

**III.** **Sensus.** **III.** Quod ad sensus externos attinet, qui-  
dam sunt collectiores, vitatis omnibus objectis,  
occlusisque sensibus : alij autem aspectu cœli,  
aut pœ imaginis, vel etiam conventu pio per-  
moventur, & motibus cœteris, ut tensione pe-  
ctoris, geniculatione frequenti, prostratione  
corporis, expansione brachiorum, statione : alij  
aliter afficiuntur, vitanda autem in publico, quæ  
insolita sunt.

## CAPUT VIII.

### *De examine faciendo super Medi- tatione.*

**Quid ex-** **C**onfert multum ad fructum, ut super me-  
**aminan-** **G**editatione jam peracta instituatur examen.  
**dum.** Id, quod circa alias quoque orationes vocales,  
præsertim longiores facere, operæ pretium erit.

**I.** Examinabo accessum ad meditandum :  
an præparata sufficienter materia : an præsentia  
Dei ante oculos studiosè posita : an opus illud  
purâ intentione in Deum direxerim, & obtu-  
lerim, gratiâ dignè perficiendi postulatâ. Quod  
si minus præstiterim, dolebo, cum proposito  
emendationis.

**II.** Examinabo progressum orationis : distra-  
ctusne, atque aridus, an collectus & devotus  
fue-

fuerim, an multus in discursibus, & parùm affectibus intentus: an bona desideria ac propria in posterum conceperim: & quâ reverentiâ in colloquiis cum Deo meo habuerim. Si quid bene gestum, Deo referam acceptum, gratiasq; agam: quod si minus, ejus rei causam investigabo, ad removendum.

III. Examinanda sunt ipsa lumina in meditatione percepta, & affectus spirituales, disciendo, quò ducant animam, & quales in ea patientia effectus, ut discamus varios spiritus discernere.

IV. Dispiciendum quâ ratione exequi valeamus, atque in praxim quamprimum deducere, quæ intelleximus, nobis esse facienda: nam arbor infructuosa excinditur: Justus autem erit *ps. 1.3.* tanquam lignum, quod plantatum est secus decursus aquarum, quod fructum suum dabit in tempore suo. Cæterum fructus meditationis esse *Fructus* debent, reformatio morum, vitatio culparum medit, etiam levium, declinatio occasionum mali, & quarumvis imperfectionum, refrænatio passionum, victoria difficultatum in exercitio virtutum, superatio temptationum: studium laborandi ac patiënti in iis, quæ sunt proprij statûs, & vocationis accurata exercitatio: denique imitatio Christi, in charitate, humilitate, patientiâ, obedientiâ, Crucis amore, mortificatione, cæterisque virtutibus, ac præsertim, quâ quisque maximè indigere se sentit.

III.

IV.

CAPUT